

**La biographie néo-latine à Zurich au XVI^e siècle :
Un plaidoyer en faveur de l'éducation humaniste et de la Réforme
L'exemple de la *Vie de Johannes Wolf*¹ par Johann Wilhelm Stucki²**

*David Amherdt, Université de Fribourg
david.amherdt@unifr.ch*

1. La naissance (fol. aa4vo ; début de la biographie)

Ioannes Vuolphius Tiguri, nobili et primaria Helvetiorum urbe, anno salutis 1521, die 25 Octobris circiter horam quintam matutinam natus est. Mox post ortum sacris Baptismi aquis pro Ecclesiae christianae more atque consuetudine initiatus fuit, Ioanne Steinero et Agnete Gesnera, qui illum ex sacrosancto illo fonte exceperunt, testibus et fideiussoribus adhibitis, quos vulgo compadres et commatres appellant. Fuit annus hic insignis celeberrimis illis comitiis Imperii Vormatiae a Carolo V Imperatore habitis, in quibus Lutherus piaae memoriae coram Imperii Romani proceribus, frementibus ac dira quaevis illi minitantibus, suis hostibus, doctrinae suae rationem magno ex celsoque animo non sine magno certe vitae periculo reddidit.

2. L'éducation (fol. aa5vo-aa6ro)

Ioannes igitur sub hac proba diligentique matris suae disciplina, primum quidem Tiguri primis illis atque puerilibus literarum rudimentis elementisque fuit imbutus. Statim autem post patris interitum cum puer esset decem annorum, invito ac multum reluctante avo, qui illum ob exiguum patrimonium a liberalium artium studio ad officinam traducere conabatur, matris imprimis consilio ac voluntate ex urbe Capellas deductus, et Ioannis Liberii optimi

¹ Sur Johannes Wolf (1521-1572), voir C. Moser, « Wolf, Johannes », *Dictionnaire historique de la Suisse*, version en ligne du 20.11.2013, <https://hls-dhs-dss.ch/fr/articles/010923/2013-11-20/>.

² Sur Johann Wilhlem Stucki (1542-1607), voir C. Moser, « Stucki, Johann Wilhelm », *Dictionnaire historique de la Suisse*, version en ligne du 02.07.2012, <https://hls-dhs-dss.ch/fr/articles/010867/2012-07-02/>.

doctissimique viri disciplinae traditus fuit, qui tunc scholae illius clavum tenebat. Hic illum una cum caeteris discipulis curae fideique suae commissis in bonarum literarum atque artium studiis qua potuit fide diligentiaque exercuit. [...] Tantum autem brevi tempore, Deo favente atque iuvante, pro docilitate diligentiaque sua in literis profecit, ut non solum aequalibus ac condiscipulis suis antecelluerit, verum etiam alios docendi munus illi eo ipso in loco fuerit impositum. Deinde anno nati Christi 1537 Tigurum revocatus, per triennium fere in schola Tigurina praeceptorem egit ; quae fuerunt quasi quaedam primitiae sive praeludia fidelissimae fructuosissimaeque illius operae, quam postea, confirmata iam aetate, doctrina atque iudicio ecclesiae scholaeque impendit. Hisce igitur initiis et quasi fundamentis doctrinae in ipsa patria positis, ad peregrinas quasdam tandem scholas et academias literarum studiis florentes veluti ad mercatum quendam bonarum artium profectus est.

3. La méthode d'étude de Wolf (fol. aa6vo)

Hos omnes non diligenter solum attenteque audivit, verumetiam illorum dictata summo studio excepit literisque consignavit, quae veluti thesaurum pretiosum diligenter in bibliotheca sua custodivit ac post se reliquit. Monendi hic merito mihi videntur esse omnes ii qui literarum ergo peregrinis in locis versantur, ut quanto possunt studio atque diligentia quaecunque vel audiunt, vel vident cognitu iucunda atque utilia non modo observent ac animadvertant, verum etiam literis mandent, quorum lectio atque repetitio illis postea omni vitae suae tempore magnae voluptati utilitatisque esse poterit. At plerique partim ignavia, partim nimia ingenii memoriaeque suae confidentia id facere negligunt, cum nullius tam firma sit tenaxque memoria, quae omnibus retinendis custodiendisque par esse possit. Ac proinde literae divino munere hominibus datae sunt, veluti egregium quoddam σοφίας καὶ μνήμης φάρμακον, ut scite

eas Plato appellat³, quae, ut Cicero eandem in sententiam dixit, subsidio oblivioni esse possunt⁴.

4. Ses études à l'étranger : une attitude exemplaire (fol. aa6vo-bb1ro)

Hoc brevi igitur peregrinationis suae curriculo, quod biennii tantum fuit, totum illum disciplinarum liberalium orbem (quem ἐγκυκλοπαιδείαν Graeci appellant) foelicissime confecit, ac plura longe scitu utilia cognovit ac didicit, quam alii duplo vel triplo etiam longiore tempore discere atque percipere potuissent, id quod cum divinae in primis gratiae, unde omnia bona profluunt, tum illius ingenio industriaeque est adscribendum. Hinc etiam intelligitur magis animum et ingenium et diligentiam et attentionem ad disciplinas percipiendas requiri, quam multum temporis spatium flagitari. Cum igitur, ut Poeta cecinit⁵ :

αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι.

Ioannes Vuolphius contra magnam profecto laudem meretur, qui cum brevi temporis spatio peregrinis in locis manserit, tamen, gnavi industriique instar mercatoris, plurimis atque pulcherrimis bonarum artium disciplinarumque mercibus instructus domum rediit. Contra plerique eorum, ut experientia quotidiana testatur, qui a parentibus, propinquis ac mecoenatibus suis peregrina in loca bonas literas moresque discendi causa mittuntur, magnisque ibi diu impensis aluntur, tandem non modo doctrina pietateque vacui, verum etiam plurimis vitiis et aere insuper alieno onerati, cum maximo et suo et suorum dedecore atque incommodo domum redeunt. Porro post foelicem

³ *Phèdre* 274e : « L'enseignement de l'écriture, ô roi, dit Theuth, accroîtra la science et la mémoire des Égyptiens ; car j'ai trouvé là le remède de l'oubli et de l'ignorance. » (« τοῦτο δέ, ὦ βασιλεῦ, τὸ μάθημα, » ἔφη ὁ Θεῦθ, « σοφωτέρους Αἰγυπτίους καὶ μνημονικωτέρους παρέξει· μνήμης τε γὰρ καὶ σοφίας φάρμακον ἡὺρέθη. »)

⁴ Cic. *Pro P. Cornelio Sulla oratio* 45 : *quodsi iam essem oblitus severitatis et constantiae meae, tam ne amens eram, ut, cum litterae posteritatis causa repertae sint, quae subsidio oblivioni esse possent, ego recentem putarem memoriam cuncti senatus commentario meo posse superari ?*

⁵ Homère, *Illiade* 2, 298.

hunc laetumque in patriam reditum, non, qui multorum mos est et consuetudo, sese otio, ignaviae ac voluptatibus dedit, sed potius in id statim omni suo studio incubuit, ut divina illa, ut ita loquar, sua talenta, hoc est, praeclara naturae doctrinaeque ornamenta atque munera, ad communem patriae utilitatem conferret.

5. Wolf, le professeur exemplaire (fol. bb2vo)

Nam praeter liberos habebat in convictu suo atque contubernio multos pueros tum cives tum peregrinos, virorum magni nominis, nobilitatis dignitatisque filios, qui illius disciplinae traditi erant. Hos ille filiorum loco ducebat, ac proinde non solum cibo potuque liberali tractabat, verumetiam summa cura atque opera illorum animos cum moribus, tum disciplinis honestis atque liberalibus informabat. Nec vero ea tantum quae toto die in scholis publicis audiverant atque didicerant repetere sibi recitare cogebat, verumetiam non gravabatur Aphthonii progymnasmata⁶, et alia huiusmodi dialectica atque rhetorica praecepta illis explicare. Et quoniam artium praecepta sine usu et exercitatione sunt quasi mortua, ac nullius, vel exiguae certe utilitatis, idcirco totus in eo fuit, ut partim scribendo, partim declamando assidue sese exercerent, et ita dialectica atque rhetorica praecepta ad usum revocarent. Corpora quoque illorum honestis et liberalibus ludis curabat exerceri, ut non animi tantum verumetiam corporis sanitate atque viribus valerent. Haec fuit privata illius atque domestica disciplina et institutio propter quam domus illius merito virtutum disciplinarumque schola et quasi officina appellari potuit, ex qua multi praeclari Reipublicae Ecclesiaeque utiles prodierunt.

⁶ Natif d'Antioche et élève du sophiste Libanios, il est l'auteur d'un manuel scolaire sur les exercices préparatoires de rhétorique (*Progymnasmata*).

6. La mort de Wolf (fol. bb3vo-bb4ro)

Postremo igitur cum Deus illius fidem atque patientiam ut in reliqua vita, ita in extremo potissimum hoc eius actu magnis exercuisset satis atque probasset doloribus, tandem illius animam 17 die Novembris⁷ circiter 11 noctis horam ex his mundi corporisque tenebris atque ergastulo ad se in aeternam illam suam lucem sedemque evocavit. Corpus vero illius postero die hora quarta post meridia⁸ in illo ipso templo⁹, quod saepe sacris illius contionibus personaverat, ad spem beatæ resurrectionis sepulchro fuit conditum iuxta consulis Vualmanni¹⁰ sepulchrum, funus incredibili hominum concursu, frequentia atque lachrymis (quas desiderium illius excitaverat) fuit decoratum. In eius locum Rudolphus Funccius¹¹, vir pius et sapiens, fuit surrogatus, quo diu amico et diacono fideli in illa ecclesia usus fuerat. Accidit quoque singulari Dei consilio ac beneficio, ut fidissima eius coniunx, quemadmodum vitæ ita mortis quoque illius individua socia comesque extiterit ; ac proinde mutui sui voti, quo uno eodemque tempore vel certe non longo intervallo hinc migrare cupiebant, facti sunt participes. Illa enim paulo post mariti obitum prae incredibili animi maerore gravi correpta morbo, anno 1573 die quinto Aprilis illum secuta est, praemisso filiolo minimo natu (qui 23 Martii mortuus est), de quo in morbo suo cum mirum in modum sollicita fuisset, si ei superstes extitisset ; Deus hac sollicitudine illam ante obitum liberare voluit.

⁷ De l'année 1572.

⁸ Après midi.

⁹ Le Fraumünster.

¹⁰ Le bourgmester zurichois Hans Waldmann (1435-1489), qui fut aussi enterré dans le Fraumünster.

¹¹ Le pasteur Rudolf Funk, qui mourra en 1584.